




S. Odilo Abbas. Cura defunctorum

[Köln], [1654]

S. Mathias Apostolus. Curæ eligendi status.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71907)



S. MATHIAS APOSTOLUS.

Cura eligendi status.

Deus, qui B. MATHIAM Apostolorum tuorum collegio sociasti, eoque gradu dignum fecisti; da cunctis, de statu vitæ incertis, eum eligere, in quo salutem, ipso deprecante, certius consequi mereantur.

Ora pro deliberantibus de statu vita,

Gr

MATHIAM, ex antiquioribus Christi discipulis unum, post illius ascensionem Judææ proditoris loco subrogatum sorte, & connumeratum cum undecim Apostolis horum Actus testantur. Quibus deinde gentibus euangelizaverit, ubi, & quomodo mortem obierit, incertis sententiis tradunt auctores, iiq; non vetustissimi; tempus vero nec attingunt quidem. Græci, in Æthiopia prædicasse affirmant, & ibi apud Sebastopolim crucifixum fuisse. Latini, ad sitos Pontis Euxino populos ab eo illuminatos volunt: inde in Judæam rediisse, & in pace quievisse dicunt aliqui; alii lapidibus jacente pene exanimem, securi percussum; utriusque Hierosolymis sepultum. Addunt corpus ab Helena allatum Romam, ubi ipsum deinde Paschalis I seculo 9 condiderit, sub abside S. Mariæ majoris. Trevirenses illud inde ad se deportatum affirmant, & revelationem celebrant, factam anno 1127. Hanc cum multa sequerentur miracula, ipso Apostolo per visum jubente, insignis condita apud eos basilica extra urbem est, quam Eugenius III cum monasterio dedicavit.

Cum ignoremus, quid agere debeamus, reliquum est, ut oculos nostros dirigamus ad Deum. 1 Par. 20.